

Area F 2005  
Sight Recitation - Prose

Trimalchio's Tomb, continued

“Tē rogō ut nāvēs etiam in monumentō meō faciās plēnīs vēlīs euntēs, et mē in tribūnālī sedentem praetextātum cum ānulīs aureīs quīnque et nummōs in pūblicō dē sacculō effundentem; scīs enim, quod epulum dedī bīnōs dēnāriōs. Faciātur, sī tibi vidētur, et trīclīnia. Faciās et tōtum populū sibi suāviter facientem. Ad dexteram meam pōnās statuam Fortūnātae meae columbam tenentem, et catellam cingulō alligātam dūcat, et cicarōnem meum, et amphorās cōpiōsās gypsātās, nē effluent vīnum. Et urnam licet frāctam sculpās, et super eam puerum plōrantem. Hōrologium in mediō, ut quisquis hōrās īnspiciet, velit nōlit, nōmen meum legat.

“Īnscrīptiō quoque vidē dīlīgenter sī haec satis idōnea tibi vidētur: C. Pompeius Trimalchiō Maecēnātiānus hīc requiēscit. Huic sēvirātus absentī dēcrētus est. Cum posset īn omnibus decuriīs Rōmae esse, tamen nōluit. Pius, fortis, fidēlis, ex parvō crēvit, sēstertium relīquit trecentiēs, nec umquam philosophum audīvit. Valē. 'Et tū.'” Haec ut dīxit Trimalchiō, flēre coepit ūbertim. Flēbat et Fortunāta, flēbat et Habinnas, tōta dēnique familia, tamquam in fūnus rogāta, lāmentātiōne trīclīnium implēvit.

—Petronius, *Satyricon* 71–72 (excerpts)